



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelia Geographiae Veteris Et Novae**

Parallelia Geographica Italiae Veteris Et Novae

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 3. Qualitas Alpium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13120**

## 528 DE ANTIQVA ITALIA,

titudinem Cornelius Nepos centum millia, T. Liuius tria millia stadiorum excurrere docent; quod utrumque verum est diversis in locis; nam & centum millia explent aliquando, ubi Italiam à Germaniâ submouent; nec LXX. millia explent, reliquâ sui partegraciles.

ALTITUDO. Primo, Plinius lib. 2. cap. 65. ait quosdam arbitri Alpium vertices tractu non breuiore 1. millibus passuum assurgere.

Secundò, earum Altitudo colligi potest ex aliis montibus: conferantur ergo cum Olympo, & Pindo montibus editissimis: Strabo lib. 4. docet utrumque uno die descendendi posse ab expedito viatore: Plinius ait Dicearchum inuenisse ad perpendiculum Pindum esse passuum MCCL. Plutarchus in Æmilio notat Olympum supra Ætnę casius assurgere, idque ostendit ex epigrammate de Xenagorā filio Eumeli. At Strabo lib. 4. negat à quopiam intra quintum diem Alpes superari posse, ex quâ comparatione quā edictæ fuerint intelliguntur.

## NUM. 3. Qualitas Alpium.

DESCRIBUNTUR Alpes à Silio Italico lib. 3. ubi canitur Annibalis transitus, Polybio lib. 2. & 3. Liuius lib. 21. Petronio Arbitro in Satyrico, qui aiunt hīc niues esse pñè cælo immixtas, pecora & iumenta frigore torrida, homines intonsos, & incultos: in colibus nihil pabuli, valles satis latae, & aquis irriguas; nullos incolas in cacumine; earum latera ubique coli, & arbores syluas que gignere.

## NUM. 4. Divisio Alpium in partes.

DIVIDUNTUR Alpes in Maritimæ, Cottias, Graias, Penninas seu Pœninas, Rhæticas seu Tridentinas, Noricas, Carnicas, Iulias seu Pannonicas.

ALPES MARITIMÆ porrigebantur à mari ad montem Vesulum M. Viso, seu Veso: malè ex eodem monte Appianus, & Seruius Rhodanum eliciunt.

ALPES COTTIÆ, Tacito Coetianæ Alpes, extenduntur à monte Vesulo, Viso, ad Cenisium, le mont Cenis.

ALPES GRAIÆ, quasi Græcæ, inquit Seruius, forte ab Herculis transitu, quem tamen aliqui per Alpes Maritimæ transiisse

